

PONTIFICIUM CONSILIU  
M DE LEGUM TEXTIBUS

**COMMUNICATIONES**

VOL. XXXII - N. 2

---

2000

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2000

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex Allocutione ad "Assemblea dei Parlamentari del Mondo" . . . . .	155
--	-----

## ACTA CONSILII

DICHIARAZIONE . . . . .	159
DECRETUM de recursu super congruentia inter legem particularem et normam codicialem	162
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	167
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	169

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsa ad quaestiones de nova <i>Institutione Generali Missalis Romani</i> . . . . .	171
--	-----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio I) . . . . .	175
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio II) . . . . .	228
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio III) . . . . .	253
NOTITIAE . . . . .	286
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	289

COETUS STUDIORUM  
« DE MATRIMONIO »

Sessio II

(dd. 3-8 aprilis 1967 habiti)

Diebus 3-8 aprilis 1967, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Conventui intererant Exc.mi Schneider, Bank, et Lourdusamy; Rev.mi Damizia, Anné, Chen-Tao-Che, Cremin, Flatten, Huizing, necnon Bidagor, Secretarius Commissionis et Voto, a studiis ipsius Commissionis.

Primae adunationi praefuit Exc.mus Pericles Felici, Pro-Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

Quaestiones a Commissione propositae erant sequentes:

- a) de can. 1013;*
- b) de cann. 1031, 1031 bis et 1031 ter a Rev.mo primo Consultore propositis;*
- c) de normis circa impedimenta matrimonialia.*

Adunatio I  
die 3 aprilis 1967 – mane


Rev.mus Secretarius salutem dicit praesentibus et introducit argumenta in hac sessione examinanda, quae proposita iam fuerant primae Sessioni sed absoluta non fuerunt.

Petit a Rev.mo Relatore ut exponat quae in sessione prima pertractata fuerint et proponat tractanda in hac altera sessione.

Rev.mus Relator: Brevi exponit conclusiones sessionis primae et novos canones in eadem sessione redactos. Proponit ut primum agatur de canone 1013, dein de canone 1031; postea agatur de impedimentis.

*Can. 1013*

*Ad § 2:* Rev.mus secundus Consultor, antequam discussio habeatur, notat in relatione laborum primae sessionis omissam esse mentem Consultorum relinquendi prout est § 2 can. 1013.



Rev.mus Secretarius dicit quod tenor § 2 pendet etiam a tenore paragaphi primae. Tamen, si placet, potest fieri cito suffragatio an retinenda sit § 2 prout est.

Petuntur suffragia: omnibus placet retinere § 2 prout est.

*Ad § 1:* Rev.mus Relator: Brevi exponit statum quaestionis et praelegit formulas in prima sessione propositas ab eo et ab Exc.mis Consultoribus tertio, quarto, et quinto et Rev.mis Consultoribus secundo, sexto et septimo. Quaeritur num placeat considerare formulas primi et secundi Consultorum, circa quas habita fuit aliqualis concordia Consultorum in sessione praecedenti.

Rev.mus octavus Consultor: Oportet invenire fomulam quae congruat variis conceptis matrimonii variorum populorum, apud quos, pro vario culturae progressu, diversi aspectus matrimonii praevalent.

Rev.mus Secretarius: Iam in prima sessione dictum est definitionem matrimonii exprimere debere quid sit *matrimonium secundum naturam*. Convenit ergo ut discussio prosequatur sicuti a Relatore propositum est.

Exc.mus Praeses: Hoc mane fiat discussio; post meridiem pauci Consultores praeparabunt formulam ex dictis in illa discussione; haec nova formula iterum discutienda proponetur.

Rev.mus primus Consultor ergo denuo proponit num placeat considerare formulas primi et secundi Consultorum.

Exc.mus tertius Consultor: Placet, addendo tamen, si visum fuerit, quandam ex aliis formulis.

Alii Consultores idem sentiunt ac Exc.mus tertius Consultor. Habetur ergo discussio.

Exc.mus tertius Consultor: Praeplacet formulam Rev.mi secundi Consultoris quae dicit: «*matrimonii causa et ratio primaria est vitae et amoris coniunctio inter virum et mulierem inde sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinata*». Tamen notanda est inaequalitas quaedam in tali formula. Nam in uno commate (de matrimonio in fieri) intrat elementum amoris, dum in alio commate (de matrimonio in facto esse) deficit elementum amoris. Iamvero, si ratio habenda est Constitutionis pastoralis Concilii, elementum amoris debet intrare in uno et in alio commate.

Exc.mus Praeses: Ratio habenda est Constitutionis pastoralis Concilii, sed etiam totius traditionis theologicae et canonicae matrimonii.

Exc.mus quartus Consultor: Praeplacet formulam Rev.mi secundi Consultoris quae continet tria elementa finis, finis proximi et culminis matrimonii.

Exc.mus Praeses petit a Rev.mo secundo Consultore quid significet «*causa et ratio*».

Rev.mus Secretarius: Voluimus evitare verba «*finis primarius*»; verba aequivalentia «*causa et ratio*» inveniuntur in encyclicis Leonis XIII et Pii XI; in formula Rev.mi secundi Consultoris haec verba eundem ac in encyclicis habent sensum.

Exc.mus Praeses: At in illis encyclicis, saltem in aliis locis, clare dicitur quinam sit finis primarius matrimonii; si seligantur tantum verba illa «*causa et ratio*», oriri poterit aequivocum, v. gr. etiam defectum amoris esse posse causam invaliditatis matrimonii.

Rev.mus Secretarius: Est ipsum novum elementum amoris quod, iuxta Concilium, p[re]ae oculis habendum est.

Exc.mus Praeses: Concilium, ubi clarum non sit, interpretandum est iuxta doctrinam traditionalem.

Exc.mus quintus Consultor: Deficit utraque formula — in altera, verba «*causa et ratio primaria*» nimis generalia sunt; in altera desideratur hierarchia finium; quare proponit propriam formulam, ut in sessione praecedenti.

Rev.mus octavus Consultor: Placet formulam Rev.mi Relatoris utpote clarior et practica; dicit enim quod «*Matrimonium ordinatur ad consuetudinem vitae coniugio propriam, atque ad procreationem et educationem prolis*». Quae elementa variis culturis propria sunt.

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod nihil fini procreationis tollitur ipsi alios fines aequiparando; proponit «*Matrimonium est consortium vitae et amoris inter virum et mulierem, in deo sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinatur*».

Rev.mus Secretarius: Prae oculis habendum est hodie communius non admitti subordinationem finium ut est in canone 1013; post Concilium canon nequit incipere verbis «*Finis primarius matrimonii est ...*».

Rev.mus sextus Consultor: Addatur, in formula Rev.mi secundi Consultoris, elementum conformatio[n]is intimae coniugum; quare revenit ad propriam formulam: «*Contractu matrimonii instauratur ...*» etc.

Rev.mus Secretarius notat quod elementum contractus in hoc canone periculosest, nam aliud est intimam matrimonii naturam esse contractum, aliud est edicere quinam sit finis in quem tendat contractus.

Rev.mus septimus Consultor confirmat rationes quas in prima sessione attulit; praefert secundam formulam omisso elemento conformatio[n]is coniugum.

Rev.mus secundus Consultor respondet obiectioni a Exc.mo tertio Consultore factae quod canonem agere tantum de matrimonio in facto esse; consentit dictis Exc.mi Praesidis verba «*causa et ratio*» ansam dare aequivo[co].

Exc.mus Praeses: Verba manere possunt, utpote classica.

Rev.mus Relator: Concilium tractavit quaestionem theologicam speculativam; Coetus studiorum debet considerare quaestiones practicas, etiam in ordine ad officium iudicum, qui de validitate matrimoniorum iudicare debent. Mens formulae, ab ipso propositae, est indicare duo elementa essentialia consortii vitae coniugum et procreationis in genere, quae in praxi et in iurisprudentia magis erunt determinanda in specie.

His dictis de can. 1013, datur mandatum Rev.mis Consultoribus primo, secundo, et nono et Exc.mo Consultori quinto ut praeparent novam formulam.

*Cann. 1031, 1031 bis, et 1031 ter*

Deinde examinantur cann. 1031, 1031 bis, et 1031 ter a Rev.mo Relatore propositi in sessione praecedenti qui ita sonant:

Can. 1031

§ 1. Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.

§ 2. Nemo a matrimonio in Ecclesia celebrando arceri potest nisi ob causam publicam iure canonico sancitam.

Can. 1031 bis

Publicum est quod in foro externo legitime probari possit; secus est occultum.

Can. 1031 ter

Parochi, si quid canonice validae vel licitae celebrationi obstare comperti fuerint, id, si fieri possit, removeri current in foro externo, si est publicum; secus in foro interno.

Exc.mus tertius Consultor: In memoriam revocat animadversiones in prima sessione factas: oportet edicere ius fundamentale humanum. Circa § 2 propositi can. 1031, consentit pro solo foro externo; at pastores agunt etiam in foro interno extrasacramentali, in quo alicui matrimonium dissuaderi potest et aliquando debet; quare dicatur « *nemo potest ... publicae arcere* ».

Exc.mus quartus et Rev.mus sextus Consultores: In canone 1031, § 2 omittatur verbum « *publicum* ».

Exc.mus quintus Consultor: In canone 1031, § 1 dicatur omnes habe-

re libertatem contrahendi matrimonium; in § 2 dicatur «*nisi ob impedimentum publicum*».

Rev.mus nonus Consultor: Placet canon 1031, § 1 quoad substantiam; in § 2 dicatur: «*nisi ob impedimentum ab Ecclesia sancitum*»; in can. 1031 bis dicatur: «*Impedimentum publicum est quod*», etc.

Rev.mus octavus Consultor: Canon 1031 ponendus est in capite de impedimentis.

Rev.mus septimus Consultor consentit cum Rev.mo octavo Consultore et, quoad § 2, notat quod locutio «*causa publica*» est aequivoca, utpote nova; dicatur «*impedimentum publicum*».

Rev.mus sextus Consultor: Canones 1031 et 1031 bis ponendi sunt in capite de impedimentis; canon 1031 ter ponatur loco canonis 1031 abrogati.

Rev.mus secundus Consultor: Quod attinet ad canonem 1031, § 2, consentit sententiae a Rev.mo nono Consultore propositae aut formulae quam Exc.mus tertius Consultor proposuit.

Rev.mus Relator: In canone 1035 nihil dicitur de iure fundamentali humano nubendi; est tautologia dicere omnes posse contrahere matrimonium qui iure — divino vel humano — non prohibentur, seu omnes habere ius contrahendi nisi illo iure careant; potius hoc loco, ubi agitur de hominibus ad matrimonii celebrationem admittendis, norma detur iis, qui de admissione iudicare debent.

His dictis, petuntur suffragia:

1. *Placetne ut can. 1031 CIC supprimatur?*

Omnibus placet (ut in sessione prima dictum est).

2. *Placetne ut can. 1035 CIC ponatur loco can. 1031 suppressi, secundum propositionem Rev.mi Relatoris?*

Non placet n. 5, placet n. 3.

Rev.mus Relator insistit ut recipiatur saltem § 2 propositi can. 1031, id est quod «*nemo a matrimonio in Ecclesia celebrando arceri potest nisi ob causam publicam iure canonico sancitam*».

Rev.mus secundus Consultor favet § 2, correctae tamen iuxta sententiam a Rev.mo nono Consultore propositam. Fit suffragatio: Non placet n. 5, placet n. 3.

Rev.mus nonus Consultor: Coniungantur can. 1031 § 2 et can. 1031 ter.

Rev.mus septimus Consultor: Can. 1031 ter est repetitio can. 1019.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod Can. 1031 ter potest jungi canonii 1019 ut explicitatio.

Petuntur suffragia: *Placetne iungere can. 1031 ter canonii 1019?*  
Maiori parti *non placet*.

#### DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

##### *Canon 1035*

Rev.mus Relator: Canon edicere deberet quid sit ius naturale fundamentale omnium hominum matrimonium contrahendi quod iure positivo etiam canonico tolli nequit.

Rev.mus nonus Consultor: Canon bonus est; ad summum dici potest «*qui iure naturali vel positivo non prohibentur*».

Petuntur suffragia: *Placetne retinere canonem 1035 uti est?*  
*Placet* n. 5, non *placet* n. 3.

##### *Canon 1036, § 1*

Rev.mus Relator legit vota Consultorum qui, pro maiori parte favent formulae Codicis Orientalis.

Fit suffragatio propositionis Exc.mi quarti Consultoris qui recipit formulam Codicis Orientalis, addito tamen verbo: «... *si, non obstante hoc impedimento*».

*Omnibus placet.*

##### *Canon 1036, § 2*

Rev.mus Relator proponit ut dicatur: «*Impedimentum dirimens inhabilitat ad matrimonium contrahendum et graviter prohibet idem attentare*». Hoc modo, dicit ipse, exprimeretur effectus proprius impedimenti dirimenti, quo differt a defectu formae et a defectu consensus.

Exc.mus tertius et quartus Consultores notant quod defectus habilitatis inhaeret personae; in formula a Rev.mo primo Consultore proposita conceptus inhabilitatis refertur ad matrimonium.

Exc.mus quintus Consultor: Loco «*dirimens*» dicatur «*inabilitans*».

Rev.mus nonus Consultor: Impedimentum dirimens afficit matrimonium, inde Ecclesia potest ab eo dispensare. Si dicatur «*inabilitas*», haec respiceret personam et Ecclesia non potest dare habilitatem alicui qui ea caret.

Adunatio II  
die 3 aprilis 1967, h. 16,30

[Adsunt iidem, excepto Rev.mo octavo Consultore].

*Can. 1036*

*Ad par. 2:* Exc.mus tertius Consultor notat quod discussiones de natura impedimenti dirimentis sine dubio iam ante Codicem redactum fiebant, ergo nulla habetur ratio cur immutemus conclusiones, ad quas codificatores pervenerunt.

Rev.mus Secretarius: Defectus, quos Rev.mus Relator evitare intendit in hac §, evitandi erunt in locis magis opportunis iuris matrimonialis.

Exc.mus quintus Consultor proponit ut impedimentum dicatur «*inabilitans*», non «*dirimens*», quia matrimonium in casu non dirimitur, sed impeditur quominus valide ineatur; quod nondum factum est, dirimi nequit. Ut res clarior evadat, haec prae oculis habeantur:

1) Post Codicem editum sub nomine impedimenti absque dubio tantummodo *defectus* alicuius qualitatis seu habilitatis intelligitur, ita ut hac deficiente partes inhabiles sint ad *valide* contrahendum, seu leges de impedimentis sub nomine legum inhabitantium veniant (c. 11), seu ignorantia legis non excusat. Alia capita invaliditatis matrimonii ex defectibus consensus vel formae praescriptae proveniunt.

2) Neque id obiciendum est quod vox «*inabilitas*» quandoque *ad illicitos actus* designandos adhibeatur. Hoc praecise est scopus revisionis Codicis ut tandem aliquando terminologia inconstans et vaga, a peritis iuris civilis iure vituperata, auferatur et ad eandem notionem exprimendam idem vocabulum adhibeatur.

Rev.mus nonus Consultor: Placet textus Rev.mi Relatoris.

Rev.mus septimus Consultor: Placet textus Relatoris, at dicatur «*inabilitem reddit*».

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod vocabulum «*inabilitans*» a Exc.mo quinto Consultore propositum iuridice rectum est, at vocabulum «*dirimens*» in traditione et in doctrina receptum est.

Rev.mus Secretarius: Ex variis canonibus Codicis probat vocabulum «*inabilitans*» non habere sensum iuridicum unum clare determinatum.

Rev.mus nonus Consultor: Remittatur reformatio huius paragraphi.

Rev.mus secundus Consultor: Non est opportunum remittere.

Rev.mus septimus Consultor: Nunc relinquamus canonem uti est, quia

est clarus; si postea aliae rationes apparebunt, revertemur ad hanc § 2 canonis 1036.

Petuntur suffragia: *Placetne propositum a Rev.mo septimo Consultore?*

Maiori parti *placet*; omnes tamen volunt omittere verbum «*graviter*».

Rev.mus nonus Consultor rogatur ut praeparet textum §§ 1 et 2 can. 1036 iuxta animadversiones factas.

*Ad par. 3:* Omnes Consultores praeferunt textum correspondentis canonis Codicis Orientalis. (cf. can. 26, § 3).

#### *Canon 1013*

Proponitur novus textus praeparatus a Exc.mo quinto Consultore et Rev.mis Consultoribus primo, secundo et nono: «*Matrimonium est intima totius vitae coniunctio inter virum et mulierem, quae indole sua naturali ad prolis procreationem et educationem ordinatur*».

Exc.mus tertius Consultor: Placet textus, at quando agetur de consensu, accuratius determinandum erit quodnam sit obiectum consensus (can. 1081).

Respondet Exc.mus quartus Consultor: Textus non plene satisfacit, quia in primo commate desideratur amor coniugalis; proponit v.gr. «*matrimonium est amoris coniugalis coniunctio*».

Rev.mus sextus Consultor: Abundat vocabulum «totius», et mentio fiat finis secundarii.

Rev.mus septimus Consultor: Placet formula uti est.

Rev.mi nonus et secundus Consultores: Fines secundarii comprehenduntur verbis «*intima totius vitae coniunctio*».

Rev.mus sextus Consultor: Potius explicite edicatur finis secundarius.

Exc.mus tertius Consultor: Textus propositus longe melior est textu Codicis, qui nihil dicit de fine personali essentiali matrimonii; inde approbetur.

Rev.mus Secretarius: Textus propositus evitat causas matrimoniales ex capite finis secundarii exclusi, quae aliquando vi canonis 1013 movebantur.

Petuntur suffragia: *Placetne novus textus canonis 1013, § 1?*

Omnibus *placet*.

Petuntur suffragia: *Mutata § 1, placetne tamen ut § 2 maneat uti est?*

Omnibus *placet*.

#### *Can. 1037*

Plures Consultores proponunt ut recipiatur textus Codicis Orientalis. can. 27.

Rev.mus secundus Consultor praefert textum CIC, utpote breviorem et tamen continentem omnia quae sunt necessaria.

Respondet Rev.mus Secretarius: Textus non est clarus, ita ut necessaria fuerit interpretatio Commissionis Codicis.

Rev.mus primus Consultor: Determinare oportet quinam sit finis praticus quem canon intendat distinguendo impedimenta publica et occulta.

Rev.mus Secretarius: Distinctio respicit dispensationes dandas in foro externo.

Exc.mus tertius Consultor: Considerentur quae in voto Rev.mi secundi Consultoris proponuntur, scilicet ut praeter notiones « publicum – occultum » introducuntur etiam notiones « notum – secretum ».

Rev.mus secundus Consultor declarat: *Publicum* est quod probari potest, *occultum* quod probari nequit; *notum* est quod de factor divulgatum est, *secretum* est quod paucissimis innotuit sine periculo divulgationis; notiones « notum – secretum » hic addenda sunt quia respiciunt applicationem canonis 1045, § 3.

Rev.mus nonus Consultor proponit ut omittatur in canone 1045, § 3 vocabulum « *occultis* » et canon 1037 maneat uti est.

Respondent Rev.mi secundus et sextus Consultores et Rev.mus Secretarius: Si accipiatur propositum a Rev.mo nono Consultore, oportet confessariis demere facultatem can. 1045, § 3.

Rev.mus secundus Consultor: Parochi facultatem habeant dispensandi in casibus publicis; confessarii facultatem habeant dispensandi tantum ab impedimentis occultis sensu stricto.

Rev.mus Relator: Revertatur ad canonem 1037 post reformationem canonis 1045.

Omnibus placet.

#### *Can. 1038*

*Ad par. 1:* Petuntur suffragia: *Placetne ut maneat uti est, ponendo « prohibeat » loco « impeditat »?*

Omnibus placet.

*Ad par. 2:* Petuntur suffragia: *Placetne loco « impedientia » ponere « prohibentia »?*

Omnibus placet.

Deinde agitur de proposito a Exc.mo quarto Consultore, ut scilicet Conferentiis episcopalibus concedatur facultas statuendi quaedam impedimenta.

Rev.mus nonus Consultor: Relinquatur § 2 uti est, at in fine tollantur vocabula «*sive particularis*»; tunc etiam «*sive*» praecedens tollatur.

Rev.mus Secretarius: Quod dicit Rev.mus nonus Consultor fieri nequit nisi sciatur quaenam sint facultates Conferentiarum Episcoporum.

Rev.mus septimus Consultor: Conferentiis Episcoporum detur facultas non solium statuendi quaedam impedimenta, sed etiam mutandi quaedam impedimenta iuris communis, ut opportune provideri possit necessitatibus localibus, maxime in missionibus; quae omnia Apostolicae Sedi approbanda submitti poterunt; quare proponit § 3 ut in voto suo.

Exc.mus tertius Consultor: Nihil iuvat facultas Conferentiarum subordinata approbationi Apostolicae Sedis in canone expresse dicta; omnes Conferentiae iam sciunt se posse petere ut Apostolica Sedes approbet impedimenta ab ipsis Conferentiis proposita. Praeterea, suppressis vocabulis «*sive particularis*», etiam singuli Episcopi haberent facultatem quae intenditur concessa Conferentiis.

Rev.mus secundus Consultor: Suppressis vocabulis «*sive particularis*», tota § 2 fit omnino inutilis.

**Adunatio III  
die 5 aprilis 1967**

[Adsunt iidem, excepto Rev.mo octavo Consultore].

*Can. 1038*

*Ad par. 2:* Rev.mus nonus Consultor proponit textum de facultate Conferentiarum Episcoporum huius tenoris: «... *constituendi per modum legis universalis. Conferentiae Episcoporum decernere possunt utrum, secundum mores populi, aliquid statuendum sit*».

Rev.mus septimus Consultor: Relinquatur § 2 uti est. Addatur § 3 de Conferentiis Episcoporum; in § 2 tollatur tantum vocabulum «*privative*».

Rev.mus Relator: Dempto vocabulo «*privative*» § 2 fit inutilis; omittatur proinde §2 Codicis eiusque loco ponatur § de Conferentiis Episcoporum.

Rev.mus Secretarius concedit § 2, dempto vocabulo «*privative*», per se fieri inutilem, melius tamen est abundare in casu.

Rev.mus secundus Consultor: Ne detur facultas Conferentiis Episcoporum in materia tam gravi impedimentorum matrimonialium; valde timendum est ne confusio oriatur in disciplina matrimoniali.

Rev.mus septimus Consultor: Detur facultas Conferentiis Episcoporum eo

fine ut ipsis clarius pateat se posse petere approbationem S. Sedis impedimentorum ab ipsis Conferentis propositorum pro determinatis regionibus.

Rev.mus nonus Consultor: Relinquatur § 2, demptis vocabulis «*per modum legis universalis sive particularis*»; addatur § 3 de Conferentis Episcoporum. Unde canon 1038 ita sonat:

§ 1. Ut supra.

§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium prohibentia vel dirimentia pro baptizatis constituendi, salvo praescripto § 3.

§ 3. Conferentiae Episcoporum, attentis peculiaribus adjunctis, impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia constituere possunt.

Petuntur suffragia: *Placetne ita redigere §§. 2 et 3?*

Omnibus Consultoribus, excepto Rev.mo secondo Consultor, *placet*.

#### *Can. 1039*

Rev.mus primus Consultor exponit quae in suo voto habet circa § 1 huius canonis, ut nempe adhibeatur ista formula: *Ordinarii locorum matrimonia determinata in suo territorio vel, si alteruter saltem sponsus sit eius dioecesanus, etiam extra illud. vetare possunt, gravi de causa eaque perdurante*».

Formula CIC deleatur quia:

- a) «*omnibus*», in casu ita raro, non placet;
- b) nihil refert locus commorationis, refert vero locus celebrationis;
- c) «*subditis*» non placet;
- d) «*sed ad tempus tantum*» abundat et sufficit dicere «*eaque perdurante*»;
- e) «*iusta de causa*» non sufficit, sed requiritur *gravis* causa.

Circa § 2, Rev.mus primus Consultor proponit ut mutetur his verbis: «*Vetito clausulam inhabitantem addere Sedi Apostolicae et Conferentiae Episcoporum reservatur*».

Exc.mus quintus Consultor: Canon suppressandus est, utpote superfluus et spiritui moderno non congruus. Nam:

- a) Principium est: omnes possunt inire matrimonium, nisi iure prohibantur. Hoc ius fundamentale ergo ne nimis coarctetur.
- b) Mens revisionis Codicis est ut vel ipsa impedimenta proprie dicta minuantur, eo magis hoc vetitum episcopale, quod indolem habet impedimenti prohibentis, etsi casualis seu transitorii, auferri debet.

c) Si in terris missionum id forsan necessarium videatur, ipsis ordinariis missionariis solum haec facultas concedatur.

d) Si hic canon nihilominus relinquatur, melius ad alium locum transferatur, ubi agitur de praeparatione ad matrimonium.

Rev.mus nonus Consultor: Canon utilis est, quia respicit casus concretos et particulares.

Exc.mus tertius Consultor: Quaedam emendationes a relatore proposatae admitti possunt.

Petuntur suffragia: *Placetne supprimere canonem?*

Maiori parti *non placet*

*De § 1 in specie:*

Petuntur suffragia: *Placetne omittere vocabulum « omnibus »?*  
Omnibus *placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne omittere vocabula « sed et tantum »?*  
Maiori parti *non placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne loco « iusta de causa » ponere « gravi di causa »?*  
Maiori parti *placet*.

*De § 2 in specie:*

Exc.mus quintus et Rev.mus septimus Consultores proponunt ut supprimatur.

Rev.mus secundus Consultor: Potest supprimi, dummodo in § 1 dicitur « *absque clausula dirimente* ».

Respondet Rev.mus nonus Consultor: Ne supprimatur, quia experientia scio casus aliquando occurrere.

Petuntur suffragia: *Placetne ut § 2 maneat?*  
Omnibus *placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne loco « clausulam irritantem » ponere « clausulam dirimentem »?*  
Maiori parti *placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne loco « una Sedes Apostolica » ponere « una Suprema Auctoritas Ecclesiastica »?*  
Omnibus *placet*.

Exc.mus quartus Consultor dicit quod eadem facultas Conferentiis quoque Episcoporum detur.

Petuntur suffragia: *Placetne hanc facultatem dare Conferentiis Episcoporum?*  
Maiori parti *non placet*.

*Can. 1040*

Petuntur suffragia: *Placetne supprimere canonem ut nunc est?*  
*Omnibus placet*.

Loco canonis 1040 suppressi alias canon est redigendus.

Rev.mus secundus Consultor: Canon 1040 continet duas res diversas, scilicet abrogationem ac derogationem impedimentorum, ac dispensationem ab impedimentis; oportet redigere duos canones distinctos de altera et altera materia.

Rev.mus Relator et Rev.mus septimus Consultor: Omnia continentur in normis generalibus de legibus et de dispensationibus.

Rev.mi secundus et sextus Consultores: Tamen quod opportune etiam hoc loco de impedimentis normae expresse dicuntur.

Rev.mus Relator quaerit num necessarium sit expresse statuere: «*Supreme auctoritas ecclesiastica potest impedimenta abrogare aut illis derogare*», id iam continetur normis generalibus.

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mi secundus, sextus et nonus Consultores: Expresse dicatur supremam auctoritatem ecclesiasticam impedimenta abrogare posse.

Rev.mus sextus Consultor: In canone 1038 ponatur potestas abrogandi impedimenta iisque derogandi, praeter potestatem eadem constituendi; et quidem tum potestas supremae auctoritatis, tum potestas Conferentiarum Episcoporum.

Omnis tamen desiderant ut de abrogatione et de derogatione impedimentorum redigatur *canon distinctus 1038 bis*.

Redactio canonis committitur Exc.mo quinto Consultori et Rev.mis secondo et nono Consultoribus, et Rev.mo Relatori.

Pari modo quaeritur num redigendus sit canon generalis de illis quibus competat dispensare ab impedimentis matrimonialibus.

Rev.mus Secretarius: Quoad dispensationes quaestio de potestate Conferentiarum Episcoporum minus est opportuna, quia Concilium Vat. II (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 8b, et. M.p. *De Episcoporum munib[us]*) necessitatibus pastoralibus large providisse putandum est facultatibus Episcopis concessis.

Redactio canonis generalis de illis quibus competit dispensare committitur iisdem Consultoribus: Exc.mo quinto Consultori et Rev.mis secondo et nono Consultoribus, et Rev.mo Relatori.

Adunatio IV  
die 6 aprilis 1967

[Adsunt iidem, excepto Rev.mo octavo Consultore].

Rev.mus Relator proponit ut canones sequentes ita tractentur: de singulis canonibus fiat discussio quoad substantiam tantum, nondum de singulis verbis: deinde quidam pauci consultores redigant textum iuxta animadversiones factas: demum ipsi textus discussioni subiiciantur.

Quaerit utrum placeat hoc primum criterium: omittantur omnia quae iam in normis generalibus continentur.

Coetui placet criterium, dummodo in singulis casibus de opportuna applicatione iudicetur.

*Can. 1041*

Manet uti sonat.

*Can. 1042*

Petuntur suffragia de singulis impedimentis gradus minoris suppressiendis:

*Placetne suppressire impedimentum consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis?*

Omnibus placet.

*Placetne suppressire impedimentum affinitatis in secundo gradu lineae collateralis?*

Omnibus placet.

*Placetne suppressire impedimentum publicae honestatis in secundo gradu?*

Omnibus placet.

*Placetne suppressire impedimentum cognationis spiritualis?*

Omnibus placet.

*Placetne supprimere impedimentum criminis ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii?*

Maiori parti placet.

Proinde totus canon 1042 supprimitur.

*Cann. 1043-1045*

Coetus censet canones illos quoad substantiam manere debere.

Rev.mus Relator: Quoad canones 1043 et 1044 dicatur: «*in periculo mortis ipso iure cessant impedimenta iuris ecclesiastici...»*

Rev.mus secundus Consultor: Primo aspectu videtur opportunum, at penitius indaganti graves surgunt difficultates: quarum praecipua est de cessatione impedimenti ipso iure saepe saepius non constare in foro externo; praeterea pro conscientiae tranquillitate partium requiritur iudicium Ecclesiae.

Sententiae huic adhaeraent Exc.mi tertius, quartus et quintus Consultores, et Rev.mi sextus, nonus et decimus Consultores.

Tractantur quaestiones:

1. *De multiplicatione impedimentorum.*

Omnes consentiunt eam esse abolendam.

2. *De exceptione impedimenti provenientis ex ordine presbyteratus.*

Alii censent exceptionem esse abolendam, alii, e contra, eam servandam esse, alii anticipites haerent. Demum, omnes consentiunt ipsum coetum quaestionem solvere non valere et decisionem superiori instantiae esse relinquendam.

3. *De exceptione impedimenti provenientis ex affinitate in linea recta consummato matrimonio.*

Maiori parti placet hanc exceptionem esse abolendam.

4. *De verbis «remoto scandalo» num remanere debeant.*

Maiori parti placet ut remaneant.

5. *De verbis «et, si casus ferat, legitimacioni prolis» utrum remanere debeant.*

Rev.mus Relator: In societate ecclesiastica legitima nativitas attenditur in ordine ad statum clericalem vel religiosum amplectendum et certa officia accipienda; atqui Ecclesia non debet attendere legitimatem vel illegitimitatem, maxime hodie, cum homines iam non volunt illegitimos ignomini-

nia affici, et recte, sed tantum qualitates personarum; ergo distinctio inter legitimos et illegitimos in iure canonico omnino aboleatur.

Rev.mus nonus Consultor: In Italia aliisque nationibus legitimitas canonica etiam in iure civili agnoscitur; ergo remaneat.

Maiori parti placet ut verba allata remaneant.

**Adunatio V  
die 7 aprilis 1967**

[Adsunt iidem, excepto Rev.mo octavo Consultore].

*Can. 1043*

Consultores persequuntur discussionem circa can. 1043.

Quaeritur utrum dici debeat dispensationem a forma canonica servanda non includere sanationem in radice.

Rev.mus secundus Consultor: Quaestio momentum habet non pro Episcopis, sed pro parochis.

Exc.mus quintus Consultor: Non convenit excludere sanationem in radice.

Rev.mus nonus Consultor: Quaestio potius tractetur ubi de sanatione in radice sermo erit; nunc agatur tantum de dispensatione a forma servanda.

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus sextus Consultor consentiunt sententiae a Exc.mo quinto Consultore propositae.

Rev.mus decimus Consultor: Forsan opportunum est excludere sententiam eorum qui credunt dispensationem a forma servanda comprehendere sanationem in radice.

Tandem omnes consentiunt dispensationem a forma servanda non comprehendere sanationem in radice.

In fine proponiture textus canonis 1043, huius tenoris:

«Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimatiōni prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis<sup>1</sup>, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo<sup>2</sup>».

<sup>1</sup> Decisio de impedimento proveniente ex ordine presbyteratus, remittitur instantiae superiori.

<sup>2</sup> Quaestiones de matrimonii mixtis redibunt post celebratam Synodus Episcoporum.

*Can. 1038 bis*

Rev.mus Relator praelegit textum praeparatum a quattuor Consultoribus, huius tenoris:

«*Sola Supreme Auctoritas Ecclesiastica potest impedimenta iuris ecclesiastici abrogare aut illis derogare, salvo iure Conferentiae Episcopalis abrogandi impedimenta ab ea instituta vel illis derogandi*».

*Can. 1040*

Primus Consultor praelegit textum praeparatum a quattuor Consultoribus, huius tenoris:

«*§ 1. Ordinarii locorum proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici dispensare possunt, exceptis iis, quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur.*

*«§ 2. Impedimenta Sedi Apostolicae reservata sunt:*

*1° Impedimentum aetatis, quoties aetatis defectus annum excedat;*  
*2° Impedimentum ortum ex diaconatu vel presbyteratu vel ex sollemni professione religiosa;*

*3° Impedimentum criminis de quo in can. 1075, § 2, 3°;*  
*4° Impedimentum consanguinitatis in linea recta et in linea collaterali usque ad secundum gradum mixtum cum primo;*

*5° Impedimentum ortum ex affinitate in linea recta».*

Omnibus placet.

Omnes consentiunt quaestiones de matrimonii mixtis remittendas esse ad Synodum Episcoporum quae, uti constat, de his agere debet in proxima sessione.

Rev.mus Relator quaerit num placeat ut fiat titulus de dispensationibus matrimonialibus, post titulum de impedimentis in genere et titulum de impedimentis in specie; sic ordo fieret clarior et logicae magis conformis.

Rev.mus secundus Consultor: Per placet ordo Codicis.

Exc.mus tertius Consultor: Rationes systematicae innuunt ordinem Codicis, qui tractat de auctoritate statuendi, abrogandi impedimenta et ab illis dispensandi; ob rationes practicas, v.gr., pro scholis, titulus distinctus de dispensationibus fieri poterit.

Petuntur suffragia: *Placetne ut fiat titulus distinctus de dispensationibus matrimonialibus?*

Placet n. 4, non placet n. 4: unde quaestio remittitur.

*Can. 1044*

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

1. *Quaeritur utrum placeat addere verba «tum sacerdos rite delegatus»:*

Rev.mus secundus Consultor: Additio est necessaria.

Exc.mus tertius Consultor consentit sententiae a Rev.mo secundo Consultore propositae.

Rev.mus nonus Consultor: Additio est superflua—facultas dispensandi potest delegari.

Rev.mus decimus Consultor: Requiritur formula quae comprehendat diaconos, v. gr. «*tum minister sacer rite delegatus*».

Petuntur suffragia: *Placetne formula a Rev.mo decimo Consultore proposita:*

Omnibus *placeat*.

2. *Quaeritur utrum placeat omittere «confessarius».*

Exc.mus tertius Consultor: Ne omittatur. Hic consideratur confessarius qua talis et poenitens, etiam praesente alio sacerdote, potest desiderare solum confessarium.

Rev.mus secundus Consultor adhaeret sententiae a Rev.mo tertio Consultore propositae.

Petuntur suffragia: *Placetne ut maneat «confessarius»?*

Omnibus *placeat*.

Rev.mus secundus Consultor: Opportunum est ut confessarius in his adjunctis possit dispensare etiam in foro interno non sacramentali ab impedimentis non stricto sensu occultis, id est occultis, sed iam aliquo modo divulgatis.

Adunatio VI  
die 8 aprilis 1967

[Adsunt iidem, excepto Rev.mo octavo Consultore].

*Can. 1044*

Consultores discussionem persequuntur de can. 1044.

Rev.mus nonus Consultor: Dicatur «tum confessarius pro foro interno», ita ut ipse videat utrum dispensatio dari debeat in foro interno sacramentali aut non sacramentali.

Rev.mus sextus Consultor: Facultas confessarii restringatur ad sola impedimenta occulta sensu stricto.

Exc.mi tertius et quintus Consultores et Rev.mus secundus Consultor admittunt sententiam a Rev.mo sexto Consultore propositam.

Petuntur suffragia:

1. *Placetne dicere «Tum confessarius...tamen, tam pro impedimentis occultis quam pro impedimentis publicis et pro forma servanda»?*

Maiori parti *non placet*.

2. *Placetne dicere: «...assistit, et eadem facultate gaudet confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis»*

Maiori parti *non placet*.

3. *Placetne restringere facultatem confessarii ad sola impedimenta occulta?*

Maiori parti *placet*.

4. *Placetne addere § 2 de aditu ad Ordinarium per telephonium, ut in Codice Orientali?*

Omnibus *placet*.

Mens est coetus ut in hoc loco quaestiones de impedimento orto ex ordine presbyteratus et de matrimoniis mixtis remittantur, ut apud canonem 1043.

*Can. 1045, § 1*

Petuntur suffragia:

1. *Placetne recipere formulam Codicis Orientalis?*

Omnibus *placet*

2. *Placetne includere clausulas canonis 1043 quoad omissam exceptionem impedimenti orti ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, manente hic tamen exceptione impedimenti orti ex ordine presbyteratus?*

Omnibus placet

*Can. 1045, § 2*

Petuntur suffragia: *Placetne recipere formulam Codicis Orientalis?*  
Omnibus placet.

*Can. 1045, § 3*

Petuntur suffragia:

1. *Placetne recipere formulam Codicis Orientalis de usu telegraphi et telefonii?*

Omnibus placet.

2. *Placetne addere in fine: «quoad confessarium servandum est praescriptum canonis 1044»?*

Omnibus placet

Rev.mus Relator: An hic poni debet responsum Commissionis Codicis de applicatione can. 81 ad dispensationes matrimoniales?

Omnes convenient quaque questionem remittendam esse quousque coetus competens novum canonem 81 redegerit.

*Can. 1046*

Manet prout est.

*Can. 1047*

Manet prout est.

*Can. 1048*

Supprimitur utpote inutilis.

*Can. 1049*

Supprimitur suppressis impedimentis multiplicibus.

*Can. 1050*

Supprimitur cum iam non ex indulto sed iure proprio dispensent; et relinquatur iuri particulari si quid statuendum videatur.

*Can. 1051*

Quaeritur num delenda sint verba «*non vero per rescriptum in casibus particularibus*».

Rev.mus nonus Consultor: Dicatur: «*Concessa dispensatione ab aliquo impedimento conceditur quoque, celebrato matrimonio, eo ipso legitimatio proli...».*

Omnibus placet.

Quod autem attinet ad prolem a legitimatione excipienda, sermo redibit quando de institutione legitimatis in genere agetur.

## APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
« DE MATRIMONIO »<sup>3</sup>

## Caput I

## DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

*Can. 1035*

Omnes possunt matrimonium contrahere qui iure non prohibentur.

*Can. 1036*

§ 1. Impedimentum prohibens secumfert grave vetitum contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur, si, non obstante hoc impedimento, contrahatur.

<sup>3</sup> Datur hic, in nota, textus can. 1013, qui suo loco, ut patet, collocandus est:

*Can. 1013*

§ 1. *Matrimonium est intima totius vitae coniunctio inter virum et mulierem, quae, indole sua naturali, ad proles procreationem et educationem ordinatur.*

§ 2. *Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiariter obtinent firmitatem ratione sacramenti.*

§ 2. Impedimentum dirimens et prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Impedimentum quamvis ex alterutra parte tantum se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

*Can. 1037*

Publicum censetur impedimentum quod publico ex facto oritur vel quod alio modo probari in foro externo potest; secus est occultum (N.B. Formula huius canonis denuo revidenda est).

*Can. 1038*

§ 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium prohibeat vel dirimat.

§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium prohibentia vel dirimentia pro baptizatis constituendi, salvo praescripto §3.

§ 3. Conferentiae Episcoporum, attentis peculiaribus adiunctis, impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia constituere possunt.

*Can. 1038 bis*

Sola Suprema Auctoritas Ecclesiae potest impedimenta iuris ecclesiastici abrogare aut illis derogare salvo iure Conferentiae Episcopalis abrogandi impedimenta ab ea instituta vel illis derogandi.

*Can. 1039*

§ 1. Ordinarii locorum in suo territorio commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii, vetare possunt matrimonium in casu peculiari, sed ad tempus tantum, gravi de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam dirimentem una Suprema Auctoritas Ecclesiastica addere potest.

*Can. 1040*

§ 1. Ordinarii locorum proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ab omnibus impedimentis iuris ec-

clesiastici dispensare possunt, exceptis iis, quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Impedimenta Sedi Apostolicae reservata sunt:

- 1° impedimentum aetatis, quoties aetatis defectus annum excedat;
- 2° impedimentum ortum ex diaconatu vel presbyteratu vel ex solemnni professione religiosa;
- 3° impedimentum criminis de quo in can. 1075, §§ 2 et 3.
- 4° impedimentum consanguinitatis in linea recta et in linea collaterali usque ad secundum gradum mixtum cum primo;
- 5° impedimentum ortum ex affinitate in linea recta.

(N.B. Quoad matrimonia mixta remittur ad decisiones Synodi Episcoporum, qui, uti constat, de hac quaestione agere debet in proxima sessione.)

*Can. 1041*

Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur.

*Can. 1042*

Supprimitur.

*Can. 1043*

Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimacioni prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis,<sup>4</sup> dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo.<sup>5</sup>

<sup>4</sup> De impedimento proveniente ex sacro presbyteratus ordine, remittitur ad instantiam superiorum.

<sup>5</sup> De matrimonii mixtis, postquam Synodus Episcoporum decernat rem.

*Can. 1044*

§ 1. In eisdem rerum adjunctis de quibus in can. 1043 et solum pro casibus in quibus nec loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum minister sacer rite delegatus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 1098, 2º, assistit, tum confessarius, si agatur de casu occulto, pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.

§ 2. In casu de quo in § 1, loci Ordinarius censetur adiri non posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri.

*Can. 1045*

§ 1. Possunt Ordinarii locorum sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in citato can. 1043, quoties impedimentum detegatur vel, quamvis antea cognitum tunc solum ad notitiam Ordinarii aut parochi deferatur cum iam omni sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

[N.B. Si Superior Instantia, pro can. 1043, concedat facultatem dispensandi, urgente mortis periculo, etiam ab impedimento proveniente ex sacro presbyteratus ordine, tunc redactio huius primae paragraphi canonis 1045 denuo corrigenda erit quia, ad mentem Consultorum, in can. 1045 impedimentum ex sacro presbyteratus ordine proveniens excludendum erit a facultate Ordinariis concessa.]

§ 2. Haec facultas valet etiam ad convalidationem matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sedem Apostolicam vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, ad Ordinarium.

§ 3. In iisdem rerum adjunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in can. 1044, § 1, sub eiusdem canonis clausulis, sed solum si casus natura sua vel tantum facto sit occultus et ne loci quidem Ordinarius adiri ad normam can. 1044 possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti; quoad confessarium servandum est praescriptum can. 1044.

*Can. 1046*

Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiore faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

*Can. 1047*

Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali.

*Can. 1048*

Supprimatur.

*Can. 1049*

Supprimatur.

*Can. 1050*

Supprimatur.

*Can. 1051*

Concessa dispensatione ab aliquo impedimento, conceditur quoque, celebrato matrimonio, eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega.